



Kern 253 (1-20)



19

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
FEBRIUM GASTRICARUM
SYMPTOMATIBUS

QUAM
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

ERUDITORUM EXAMINI OFFERT
RAPHAEL CHARLEVILLE

SILESIENSIS.


A. D. APRIL. MDCCLXXXV.

HALAE,
LITTERIS L. G. FABRI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

FERRIUM GASTRICARUM
SYMPTOMATIBUS



QUAM

CONSENSU FACULTATIS

MEDICAE

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

ERUDITIONUM EXAMINI OBSEPT

RATHMEL CHARLEVILLE

PRESENTATA



HALLAE

PETRIUS G. FABRI.



VIRO ILLUSTR
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

MARCO HERZ,

MEDICINAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO BEROLINENSI
LONGE CELEBERRIMO, ET SPECIATIM NOSOCOMII
IUDAICI

FAUTORI
AD CINERES USQUE VENERANDO CUI INNUMERA
BENEFICIA DEBET

HANC REVERENTIAE TESSERAM
DICAT
RAHPHAEL CHARLLEVILLE.



VIRO ILLUSTRARI
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

MARCO HERZ

MEDICINAE DOCTOR, MEDICO PRACTICO BEROLINENSIS
LONGE CETERIS, ET SOCIETATIBUS NOSCOCCALIS
ORDINIS

PAUTORI

AD CIBERES USQUE VENERANDO CULINUMERA
BENEFICIA DEBIT

HANC REVERENTIAE TESSERAM

DICAT

MANUEL CHARLEVILLE



§. I.

Variā et multa sunt mala, quae humanum corpus aggrediuntur, quaeque morborum nomine insigniri solent. Eo autem, quem febrem communi titulo dicimus, vix ullus frequentius occurrit, ita ut fere nemo, numquam febrem passus, diem supremum obeat. Qui enim morbus nec aetati nec sexui cuidam parcat, et nec tempus, nec locus est, qui illo prorsus vacaret. Et viros et mulieres vexat, et infantes et senes, et aestate et hieme, et in calidis et in frigidis terrae regionibus grassatur. Quamvis autem ita communis sit ille morbus, ut quotidie medico, in morbis curandis versanti, occurrat, utque haud difficile sit, agnoscere, febre quendam laborare, tamen symptomata ejus qualiacunque adeo differunt, ut de paucissimis affirmare possis, ea in quaque febre adesse. Inde est quod difficillimum invenerint, qui febrium historiam scripserunt, definitionem, quam vocant generalem enarrare, quae et omnibus et singulis febrium speciebus competeret. Aliae subito aegrum corripiant, aliae ex longinquo quasi et lento passu accedentes variis prodromis annunciantur. Aliae paucis diebus aut aegrum necant, aut sanum eum restituunt, aliae per longam dierum, immo mensium seriem semel affectum tenent.

Aliae in caput, aliae in pectus, aliae in abdomen, et singulorum partes prae aliis impetum faciunt, ita ut cephalalgia, tussis, sitis, diarrhoea, colica, sudore ceterisque variis symptomatibus haec vel illa insigniatur. Quam quidem differentiam, quae mere diversos intercedit morbos, omnes communi febris nomine venientes, unde existere, facile perspiciet, quem non fugit, febrem esse naturae medicatricis conamen saluberrimum, quo annititur avertere omnia, sibi molesta a) Nimirum omnia, qui

a) HUXHAM *Opera physico-medica tom. 2. Cap. 3, Lips. 1764,* et van SWIETEN *Comm. in Aphor. BOERHAAVII §. 573.* dicit: „esse affectionem vitae conantis mortem avertere.“

quibus febris manifestatur, symptomata, aut illius naturae conaminis, aut molestorum ipsorum, scilicet proximarum morbi causarum, effectus sunt. Scimus, diversas admodum esse morborum causas: itaque mirari non subit, et diversos ab illis effectus producos conspicere. Et conamen quidem naturae semper est idem, quatenus conamen est, sed quum natura corporis nihil aliud esse videatur, quam indoles partium, quibus constituitur, quaeque vitali vi praeditae sunt; quum porro haec indoles in hisce illisve hominibus satis inter se differat, ita ut alia iuvenum, alia senum, alia robustorum, alia debilium etc. sit, facile colligitur, et effectus, ab eo conamine medicatricis ideo dictae naturae oriundos, eosdem semper et ubique esse non posse.

Attamen varios aegrorum febre affectorum casus contemplanti, et abstractione generaliores specierum notiones sibi formanti, duo prae aliis omnibus symptomata apparent, in omni febre praesentia:

- 1) cordis et vasorum advehentium *pulsus praeternaturalis*, qui aut naturali major et plenior, aut minor et contractior; aut frequentior aut lentior, aut celerior aut tardior; et praeterea subinde inaequalis et intermittens deprehenditur.
2. *Caloris* in superficie corporis externa a manu tangente percepti aut imminutio *praeternaturalis* aut auctio.

Quae symptomata, quum communia sint, est profecto in eorum differentiam specificam, diversarum febrium indicatricem, quod medicus attendat.

§. II.

Magna vero est cohors qualiumcunque, quae in omni et singula febre nunc accidunt, nunc desunt, symptomatum. Quaedam et plurium sunt communia, quamvis non, ut ita loquar, essentialia sint. Quaedam autem huic illive speciei peculiaris videntur, ideoque, quod speciem agnoscendam attinet,
et

et ipsa ad commonstrandam scrutanti medico viam, multum conferunt.

Non de omnibus itaque, symptomatibus loquuturus, sed ut specimen edam, pauca modo disputaturus sum, quaenam praecipue in gastrica febre et quomodo a medicis observari possint. *Gastricae* nimirum sub nomine eam febrem intelligo, cujus causa est materia peccans aut in primarum viarum canali aut in mesenterii reliquorumque viscerum chylopoëticorum vasibus habitans. Varias quidem indolis esse illa potest.

1) Bilis quae aut

a) in eo peccat, quod nimis abundet b)

b) aut in eo, quod ejus qualitas sit depravata.

Ex secretanti enim viscere magno, quod hepar dicimus, ejusque vesica, quae secretum aliquamdiu conservat, per canalem hepaticum cysticumve in choledochum coniunctus succus saponaceus flavedine et amaritiae insignis in duodenum mittitur, ut chymo ciborum, una cum pancreatis liquido, admixtus, eos dissolvat, et ita praeparet, ut facilius evadat, eorum fluida corporis humoribus similes reddere. Maximum sine dubio est emolumentum, quod inde percipimus, sed duplex, cuius mentionem feci, eius succi aut secretionis vitium itidem varia noxia parere potest. Ad illud quod attinet, experientia docet, bilem a multis causis et praesertim ab animi pathematibus multum pati, itaque corrumpi, ut vomitu eiecta interdum acerrima, fauces paene arrodens, interdum putris et odore saporeque terro nauseam nauseae addens appareat.

Unde tunc male non affici et duodenum ceteraque intestina et ventriculus ipse, in quem regurgitatur, minime possunt. Sed et absenti succi ipsius vitio subinde est enormis natura, tantamque eius copiam excernit, ut permultum in duodeno, chymo non admixtum, supersit, ideoque abundantia sua noceat.

2)

b) REIL de polycholia Tomi 2. Hal, 1783.

2) Pituita.

Tota canalis ciborum interna superficies orificiis repleta est folliculorum mucosorum, qui, ut lubricetur via, magnam vim mucii secreti emittunt. Sunt autem homines, in quibus omnia huiusmodi organa maiorem eius mucii copiam produunt, quoniam et relaxata sunt, et magna in sanguine partis mucosae est abundantia, propter eandem laxitatem solidorum, quae gelatinam ex nutrimentis absorptam bene elaborare et toti humorum massae aequaliter commiscere nequeunt. Inde quoque colligitur in intestinorum cavo, resorbentia vasa aquosam eius partem demunt, et remanet pituita tenax, quam nulla motus peristaltici vis porro subigere potest, nisi et resolventia medicamina et diarrhoea, aut criseos naturalis aut artificialis effectus, eam et solvant et eiciant.

3) materies a vasis exhalantibus intestinorum secreta.

Nempe in intestina, sicut in superficiem cutis externae aperiuntur ostia innumerabilia arteriarum exhalantium, quae perpetuo halitum aquosum transpirant. In sano corpore bonus ille et innoxius est, atque madidam reddendo intestinorum internam superficiem inservit.

Sed natura et cutanea et intestinali transpiratione utitur, ut prava quaelibet, quae in sanguine continentur, si modo potest, illius ope eliminat. Ita et in intestina subinde congeritur liquidum transpiratione exsudatum, noxiis particulis repletum.

4) Indigesta.

Et si pauca sint, quibus nutrirı possit hominis corpus, tamen omnivororum illud animal nulli fere corpori esculento parcat, quin ab eo abstineat, siquidem eius grato sapore delectatur. Multa devorat digestu difficillima, quae nihilominus saepe ventriculi et intestinorum robur, atque melior humorum inquinorum qualitas vincit. Si autem et illorum debilitate, horumque villiori indole laborat, non est quod in ciborum canali non accumulentur massae crudae, quae magis magisque corrumpuntur,

tur, vel denique in putredinem abeunt. Omnia haec, et abundans seu corrupta bilis, et pituita, et materies transpirata prava, et indigesta, communi *Sordium primarum viarum* nomine appellantur, et merito pro febris gastricae sic dictae causa habentur. Et ipsae irritatione, quam faciunt, febrem producere possunt, puta naturae nisum, ut illas sibi molestas propellat (§. 1), sive ab alia causa febre quadam genita, haecce, ut secundaria causa, primariae sese adfoeciant, febremque ex simplici gastricam reddunt, aut si inflammatoria, putrida etc. exoriebatur, complicatum constituunt.

§. III.

Cordis et arteriarum pulsus.

Cordis et arteriarum systole atque diastole, quam in omni febre percipimus praeternaturalem, et cor et arteriarum systema affectum esse irritamento quoque praeternaturali, existimare nos iubet. Illud irritamentum aut idiopathicum est, si nempe sanguini ipsi inest, e. g. transpirationis materia cohibita, vel ipse sudor retropulsus, miasma specificum reformatum, ut variolosum, pestilentielle etc.

Aut consensuale, si irritamentum partem modo corporis afficit, neque ipsi sanguini inest. Tale e. g. irritamentum quaevis inflammatio topica praebet. Et tale praesertim irritamentum est faburra, quam pro febris gastricae causa materiali agnovimus (§. 2.).

Per nervorum consensum ex canalis primarum viarum irritatione totum corpus et praecipue cor cum vasis sangviferis ipsum irritari, non est quod mireris, quum illi canali tanta sit, quae ex plexu coeliaco et mesentericis provenit, copia, et quum illi plexus a splanchnico utroque nervo existant, qui ortum nervo utriusque sympathetico magno debet, a cuius gangliis cervicalibus magna pars cardiacorum nervorum descendit. Quo

fortius totum corpus, quo robustius itaque cor est, eo fortius quoque a sanguine irritamentum contrahitur, sanguinemque in arterias propellit. Eo magis quoque arteriae dilatantur, et inde pulsus existit, quem plenum et magnum dicunt, qui hanc ob rem febris quidem vehementis, sed etiam virium naturae integritatem indicit. In debili vero corpore, ea contractio debilior est; et inde pulsus parvus evadit. Solet, in gastrica febre non gravi, nec complicata, pulsus medium quasi tenere inter magnum illum, quo inflammatoria febris gaudet, et parvum, qui putridam adesse minatur. Satis tamen frequens et subinde celer observatur.

§. IV.

Calor.

Sicut plurimae, ita et gastricae febres caloris naturalis diminutione, quam *frigus* dicimus, exordiri solent.

Spasitice contrahuntur vasa febrili materia irritata, et ita quoque cutanea, ut talis appareat cutis, quam anserinam dicunt. Simul aeger horrores in dorso ascendentes at vagos sentit. Quod febrile frigus differt ab eo, quod a frigore externo patimur. Quod enim corpus tegendo propellitur, quum eo ipso et aër externus frigidus arceatur, et cutis transpiratum sub tegmentis morari oporteat, quo facto vapores calidi cutem calefacere possunt. Illud autem, nec tegendo corpus, nec in cubiculo calido commorando aufertur, quia cutaneus spasmus ab interna irritatione ortum trahit.

Febrium gastricarum frigus non subito et improvise aggredi observatur, sed sensim, et a variis prodromis annunciatum. Si per aliquod tempus, brevius longiusue, eo frigore aeger vexatus est, cordis vires tandem vasorum spasticam contractionem superantes sanguinem maiori impetu in minima vasa; itaque et in cutanea pellunt. Inde augetur illius motus et *fervor* existit. Satis vehemens et ille in gastrica, attamen non ita mor-

mordax est, uti in putrida sanguinea febre, qui admotam manum mox retrahere cogit. Quo magis aeger fervet, eo frequentior, sed etiam eo minor plerumque est pulsus: quo mitior autem fervor, eo maior et tardior ille observatur. Si intermittens febris est, singuli paroxyfimi critico sudore et urina definenter in apyrexiam abeunt, et ea finita, frigus iterum novum adducit. Sin continua, frigus, quod in initio aderat, nunquam redit, vel raro, et tunc mutationis cuiusdam omen est. Semper fervor manet, aegrumque nonnisi finita febre relinquit. Verum non aequali vehementia in gastrica febre faevit, nam prae aliis in hacce omnium symptomatum, et ipsius fervoris, remissio observatur.

§. V.

Sudor.

Duplicis indolis est, qui in febribus accedit sudor. Aut criticus est, morbumque solvit, aut symptomaticus, qui non modo non bonus, sed quoque noxius est. Cutis enim transpiratione ea est evacuatio, qua natura pro critica uti amat; ideoque saepe, febrili materia per ipsam febrem ad illam eliminationem parata, sive cocta, quam dicunt, eam copioso et halituofo sudore eiicit.

Sed eiusmodi tantum febribus id solenne est, quarum causa materialis sanguini inest. Febri mere gastricae ea crisis minime convenit; nisi puta iam pars sordium resorptionis via in sanguinem abiit. Sed symptomatici sudores superveniunt saepe, si aut debilitate, ideoque cutis laxitate aeger iamiam laborat, aut, quod saepe fit, in cubiculo nimis calefacto et inter gravium stratorum pondera degit.

§. VI.

Cutis color.

Non in omni gastrica febre praeternaturalis superficiei cutis

B 2

ex-

externae color apparet, sed in biliosa, quam supra ab aliis speciebus fecernebamus (§. 2.) saepe videmus cutem plus sive minus flavescere colore inductam. In facie facilius observatur, et praesertim in iis, quibus sunt plicae, quae ipsae, si expanduntur, flaviores sese ostendunt. Oculi albuginea tunica inprimis hancce coloris mutationem patitur. Non itaque negligenda accuratior faciei, oculorumque inspectio, quum hoc symptoma, aliis deficientibus, saepe indolem febris indicare possit. Causa illius esse videtur, quod ex intestinis pars materiae biliosae iam sit resorpta et per minima vasa sub epidermide collocetur.

§. VII.

Urina.

Licet, urinae inspectionem haud magni momenti esse, hodierno tempore sint, qui existimant, tamen non est, quod prorsus negligatur. Iam a priori colligere possumus, bene iudicari posse de corporis statu ex fluidi inspectione, quod natura ad educendam aquam abundantem non modo, sed etiam phlogisticas et alcalinas partes excernit. Et experientia docet, in febribus tempore criseos nubeculam turbidam in urina apparere, quae in sedimentum denique abit, quam ob rem talem urinam criticam dixerunt. Et in gastrica febre ea in morbi fine subinde observatur reliquarum evacuationum criticarum socia.

In initio vero morbi *crocea* et saepe prorsus turbida emititur. Haec quidem eadem videtur, ac si ochrae pulverem subtilissimum multa aqua miscuisses, et *iuventosa* appellatur, quoniam ei similis est, quam iumenta quaedam v. c. cameli emittere solent.

§. VIII.

Dolor.

Maiorem medici attentionem postulant qualescunque dolores de quibus aegri querentur, tum, quia illi inter molestissima

ma symptomata sunt, a quibus liberari omnes desiderant, tum, quia multi eorum inter optima signa sunt.

De illis doloribus nihil hic dicam, qui inflammationum rheumatum bilioforum etc. effectus sunt, sed de aliis modo, qui huic feбри magis proprii esse videntur.

Inter eos est sine dubio *cephalalgia*, qua saepissime cruciantur, qui febre gastrica afficiuntur. Notum est c) mirum inter caput et viscera abdominalia commercium, facile nervorum communicatione declarandum. Nam nervi vagi, qui in cranio ex oblongata medulla et quidem ex cerebelli cruribus in medullam hancce abeuntes oriuntur, productis nervis laryngeis et pulmonalibus, per diaphragmatis hiatus ad ventriculum, et ex parte ad plexum semilunarem veniunt. Et nervi splanchnici, ex quorum plexu semilunari omnia abdominis viscera proprios nervos accipiunt, ortum debent nervis sympatheticis magnis, quorum origo a cerebri nervo sexto et ramo secundo seu maxillari superiori quinti derivata est. Inde est, quod capitis dolor omnium fere februm gastricarum symptoma sit. Et vice versa plerumque huius doloris, vel si absque febre accedit, causa primarum viarum fordibus tribuenda est.

Pectoris dolores, tussis dolorosa, vel pulmonum inflammatio ipsa non raro colluviei ventriculi et intestinorum effectus sunt, propter insignem pulmonum cum visceribus dictis confensum, nervo scilicet vago et illis et hisce prospiciente d)

Premens in regione epigastrica dolor et *anxietatis sensatio* fere semper adest, si saburra ventriculo ipsi seu duodeno inest, sive, uti technico termino dicitur, sursum turgefcit. Molestissima est illa anxietas, cuius vero causam optime datum vomitorium ostendit, quod illam et simul eius effectum, anxietatem ipsam propellit.

c) RAHN *de viro inter caput et viscera abdominis commercio* Güt. 1771.

d) HILDEBRANDT *de pulmonibus* Goett. 1783. §. VIII.

Colicus dolor et tenesmus plurium febrium gastricarum et praesertim dysenteriae biliosae symptomata sunt.

Idiopathici hi sunt, quum intestinorum interiorum superficiem, sensilissimam certe, quia ex mesenterico superiori, inferiori et hypogastrico plexu tantam nervorum copiam nanciscuntur, acris saburra, qualis interdum est, pessime afficit et vehementissime irritando gravissimos illos dolores gignit.

Gravans *dolor*, quem in regione *lumborum* et in artibus inferioribus aegroti sentiunt, sordium in inferiori parte intestinorum sive deorsum turgescendum, ut plurimum signum est. Inter prodromos occurrere solet, et saepe monet, ut morbo adhuc fienti obex ponatur. Talis interdum iam ante febris invasionem est, ut procedere aegri vix possint.

§. IX.

Lingua sordida.

Rarissime rubra et pura gaudent lingua, qui febre gastrica decumbunt.

Contra sordida tam constans est symptoma, ut in rariore casu, si deest, saepe perperam non pro gastrica febre habeamus, quam tamen fuisse eventus nos postea docet. Albo seu tenuiori seu crassiori mucro, et plerumque flava, immo fusca materia obducta conspicitur. Non falso ab ea apparente linguae sorditudine occultam intestinorum ventriculique colluviem indicamus. Flavior itaque lingua vel fusca biliosae indolis esse saburram indicat: mucosae autem, si albescente mucro tegitur. Et mobiles, sive ad evacuationem aptas arbitramur sordes, si humida et pultis instar in lingua tegens materia iacet: immobiles autem, si sicca et aspera eius superficies tangitur.

Observantur et varii gradus eius sorditudinis, sordium occultarum indicia. Lenior gradus est, si non ubique sordida lingua reperitur, sed utrinque stria longitudinalis aut flava aut alba aradice

dice ad apicem vergens. Peius est, si totam, apice excepto, saburra obducit: pessimum denique, si tota ad apicem usque tali materia tecta est.

§. X.

Sapor ingratus.

Dicti symptomatis comes est ingratus sive amarus, sive alius indolis sapor, qui vero interdum et adest, licet non adeo sordida sit lingua. Et ipse inter prodromos occurrere solet, nosmet cohortans, ut morbi principiis obstemus. Amarus est, si, magna saltem ex parte biliosae sunt sordes, sin pituitosae talis, qui germanice dicitur *fade*, vel subinde putris, si in putridam corruptionem colluvies iamiam transit. Ubi invaluit, nec cibus, nec potus proprio suo sapore gustus organa afficit, nam in ore statim inquinantur ita, ut vel dulcissima et alias iucundissima aegroti amara, insipida, nauseosa, videantur.

§. XI.

Ructus et flatus.

Subinde ex sordium qualiumcunque miscela, putridam quasi fermentationem ineunte, magna et fixi et inflammabilis aëris copia evolvitur, ventriculum intestinaque expandit, et abdominis inflationem, tensionem, anxietatem, colicosve dolores causat. Tandem, aut superatus contractili canalium vi, cuius et in debiliori statu pars tamen superest, aut quia tanta colligitur eius copia, ut ultra sese expandi non sinant canalis tunicae, aut sursum aut deorsum expellitur.

Si in ventriculo evolutus est aër, ructus existunt: si in intestinis, sensim ad inferiora varium sonum edens proficiscitur. Vagantes illi flatus borborygmore nomine veniunt. Denique ano egrediuntur. Et ructus, et flatus per anum abeuntes, qui solutiones quasi vaporum corruptorum aëreae sunt, teterrimo saepe foetore et aegrum ipsum vexant et circumstantes fugant.

§. XII.

§. XII.

Meteorismus.

Omnium symptomatum, quibus gastricae febres insigniuntur, periculosissimum est subita et ingens totius abdominis inflatio atque expansio. Plerumque sensatio gravitatis in lumborum regione, urinae suppressio, alvique obstructio, eius socii sunt. *Sarcone* e) hoc symptoma in epidemico illo gravissimo morbo, quem Neapoli observavit, saepissime vidit, eiusque causam putat, aërem putredine evolutum. Dicit, internum aërem putredine, convulsionibus, relaxatione liberari. Ubi accidit, certissimum mortis instantis indicium fuit. Et ipse exemplum vidi meteorismi eiusmodi mortem significantis. *Lüdeke* quidam, per duas iam septimanas febre gastrica decumbens, Doctoris *Marci Herz* auxilium desiderabat. Licet evacuantia, reliquaque idonea medicamenta rite adhiberentur, tamen artis praesidium morbi malignitati et vehementiae impar fuit, et secundo inde die abdomen intumuit, et tertio sopore obrutus et quasi suffocatus moriebatur.

§. XIII.

Appetitus edendi prostratus.

Experientia docet, pleraque nutrimenta, pomis drupisque exceptis, et prae aliis carnem, pinguedinem, si ingeruntur, febrem admodum augere, ideoque noxia esse. Quam ob rem medici semper aegrotos illis abstinere iubent, et vesci non nisi fructibus illis horaeis, aut si solidius quid appetunt, pane bis cocto.

e) Geschichte der Krankheiten, die zu Neapel 1764 sind beobachtet worden. Ueb. durch SCHMIDT von BELLIKON Zürich 1770. 3 Th. S. 710 seq.

In gastrica febre cibum noxiorem adhuc esse, facile nobis persuademus: nam non evenire non potest, quin saburra, quae ventriculo et intestinis inest, omnia ingesta corrumpat, sibi assimilet, et causa febris aucta, febrem ipsam augeat.

Ideo natura medicatrix, quae plerumque optime sibi ipsi consulit, ciborum appetitum aboliendo, aegrotum hortatur, ne nutrimenta nocentia ingerat. Idque iam ante febris invasionem fieri solet, quum et hoc symptoma inter reliquos prodromos saepe observetur. Itaque non pro signo peiori habeas, si aegrotus gastrica febre laborans ab omni lere cibo abhorret, quum, etsi illum desideraret, tamen ei abstinendum foret. Et verendum non est, ne fames naturalis morbo sanato non redeat: nam saburra evacuada, et stomachicis amaris propinatis, mox revocatur.

§. XIV.

Sitis.

Sed eadem medicatrix natura efficit, ut aegrotus maiorem potus copiam desideret. Evacuari enim nequit sordium massa, nisi soluta et fluida redditur. Itaque prudens medicus illi bibendi cupidini indulget, aegrumque admonet, ut non modo, quantum velit, sed quantum possit, fluidi copiam ingerat, vel talia potui admiscet, quae et mera aqua fortius solvunt et febrem temperant.

Bene semper est, aegrum sitire, nam indicatur eo, vires naturae adhuc in medendo versari. Pessimum autem signum est, si inter causas sitis aegrotus non sitit, et si, asperrima atque ficcissima lingua tamen bibendi desiderio destitutus est, inter reliqua signa prava, mortem timendam habemus.

Indicat enim, sensorium commune adeo affectum, ut molestum ficitatis sensum aeger non amplius percipiat. Maximus

C

gradus

gradus et semper lethalis eius sitis absentiae est spasmodicus faucium oesophagique affectus, nempe hydrophobia, quae et spontanea interdum observata est, quum solito ab animalis rabidi morfu efficiatur.

§. XV.

Alvi obstructio.

Non semper in gastrica febre, sed interdum alvus obstructa, idque mali omnis esse iudicamus, quia omnis eius morbi medela fordium evacuationi inest. Quam ob causam est, quod in hoc symptoma quotidie medicus inquireat. Causa ipsius aut nimia intestinorum siccitas interna, aut motus peristaltici inertia, aut denique spasmus est, qui a fordium irritatione existit. Saepe alvi obstructio febrem ipsam longe antecedit, et remedio purgante aut enemate tandem exhibito, ingens moles faecum durissimarum excernitur, quae adhuc in colo moratae, omnem aquosam sui partem vasis absorbentibus reddiderant.

Molestissimi saepe sunt eius alvi obstructae effectus, inter alios praesertim sanguinis ad caput congestio, cephalalgia, abdominis in regione umbilicali durities, anxietas circa praecordia et quae sunt reliqua.

§. XVI.

Vomitus.

Quas iam saepius laudavi, naturae medicatricis vires semper enituntur, ut causam cuiuscunque morbi avertant, itaque in gastrica febre, ut saburram quocunque modo expellant. Si in ventriculo haecce collocatur, brevissimam per oesophagum viam eligit, sursumque, quantum potest, eicere conatur. Inde fit, uti in animalibus observarunt, qui viva dissecuere, ut invertatur peristalticus canalis intestinalis motus, sursumque vergat.

Mo-

Molestissimam id efficit sensationem, quam nauseam appellamus. Saepe diutissime illa et frustra vexantur aegroti, nulla evacuatione contingente.

Medicus itaque naturam sequens et in eius conamina attendens, medicamine quodam illam adiuvens artificialem vomitum producit.

Sed interdum sibi ipsi sufficit natura, nauseaeque finem ponit, dum ventriculus undique carnis suis contrahatur fibris, et vique satis magna sordes, quibus repletur, flumine prorumpente per cardiam oesophagum et pharyngem eiaculat. Ingens saepe est copia fordium ita eiectionum. Interdum tota flavescente aut virescente colore inducta. Licet vero inde pateat, eas magna ex parte fuisse biliosas, tamen non omne eiectionum pro bile habeas, quia parva huius quantitas, si multo maiori massae admista est, totam suo colore tingere potest.

Magnum fere semper levamen est, quod ex tali vomitu aegroti contingit.

Multa saepe symptomata extemplo evanescent, et subinde ad sanitatem prorsus restituendam nulla alia evacuatione opus est.

§. XVII. *Diarrhoea.*

Omnis diarrhoea in gastrica febre ab irritatione fordium oritur. Carneas enim ob fibras, quibus intestinorum canalis gaudet, non exigua eius est irritabilitas: et natura corporis cuiuscunque organici ita est comparata, ut humores confluant, ubi praeternaturale irritamentum est. Ita et fordibus intestina irritantibus, horum exhalantia vasa maiorem solito copiam liquidi transudant.

C 2

Huic

- f) Ventriculi contractionem, siue diaphragmatis carniunque abdominalium actione ad producendum vomitum sufficere, satis demonstrat *Ill. Marcus HERZ: Briefe an Aerzte 2te Sammlung, Berlin 1784. S. 24. seq.*


Huic accedit fibrarum ad motum peristalticum stimulatio, et ita alvi fluxus existit. Interdum autem frustra contingit, et talis non modo levamen neutiquam affert, sed in dies magis magisque aegrotis vires prostermit. Nam mere fluida est, aegrumque humoribus sine fructu privat. Quod fit, si in ventriculo sordes iacent, itaque deorsum non turgent. Tunc enim vomitum, non alvi fluxum res postulat, qui nihilominus per nervorum consensum exoritur. Fit quoque, si nondum mobiles, i. e. ad evacuandum aptae sunt sordes, quia nondum resolutae, pituita obductae etc. sunt. Talem diarrhoeam symptomaticam dicere solent, ut a critica distinguatur. Quae enim profecto est optimum atque princeps naturae, morbis gastricis medendi, remedium. Fluida quidem, sed faeculenta quoque, quum sit, singulis vicibus sordium partem evacuat, et denique totum primarum viarum canalem purgat. Quaeque deiectio aegroti levamen affert, et in ea crisi sola et omnis fere spes ipsam sanandi recte collocatur. Ideo talem diarrhoeam nunquam obstruimus, sed promovemus illam, quantum fieri potest, et si a natura nondum producitur, sordibus rite solutis remedia exhibemus, quae talem causantia primas vias purgant, et idcirco purgantium nomen accipere.




W 17P

PICA





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
FEBRIUM GASTRICARUM
SYMPTOMATIBUS



CONSENSU G

DOCTO

ERUDITO

RAPHAEL

A. D.

LIT

